



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

3. Regimini Universalis &c. Episcopatum Daventriensem in Transisalauia
Archiepiscopatus Ultrajectini Suffraganeum, anno 1560. erigit, Ecclesiam
Collegiatam S. Lebuini nominans Cathedralem, ac pro ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

vim, & effectum, quoad præmissa omnia suspendimus, & in præmissis effectum fortiri, aut locum sibi vindicare non posse neque debere decernimus; nec non Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis, illis, & aliis quibusvis, per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per modum statuti perpetui, nec non initi, ac stipulati contractus, seu quasi, & alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, potestatis plenitudine similibus, & non consistorialiter, ac aliis quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Litteras generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis tradita, observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienti expressis habentes: quavis talia etiam, & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur.

Nihilominus in genere, & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui Apostolica potestate, vel alia quavis auctoritate in dicta Ecclesia Geervliteni in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis, ac Dignitatibus, Administrationibus, & Officiis ipsius Ecclesiæ Geervlitenis, ac huiusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generalis dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum.

Quas quidem Litteras, & Processus habitos per easdem ac inde sequuta quæcumque ad Canonicatus, & Præbendas, nec non Dignitates alias, & Decanatum, Administrationes, & Officia, ac Cappellanas huiusmodi, docuimus non extendi.

Sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatum, & Præbendarum, Dignitatum, Administrationum, & Officiorum aliorum præiudicium generari, & quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenoribus existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, reductionis, translationis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, Statuti, ordinationis, unionis, annotationis, incorporationis, inhibitionis, Mandati, Decreti, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Sexagesimo, quarto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Episcopatum Daventriensem in Transilvania Archiepiscopatus Ultrajectini Suffraganeum, anno 1560. erigit, Ecclesiam Collegiatam S. Lebuini nominans Cathedralē, ac pro dote Episcopi assignans Præposituras Ecclesiarum Daventriensis, Zutphanensis, & Oldezaaliensis, nec non Prioratum Montis Sanctæ Agnetis, Canonico-regularium Ordinis S. Augustini, prope Zwollam.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Regimini universalis Ecclesiæ, disponente Domino, præsentibus, pro Ecclesiarum quarumlibet, præsertim noviter erectarum, illisque præsentium, & in divinis servientium statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Pastoris officii tenemur, sollicitæ considerationis aciem extendimus, & ad ea, per quæ Ecclesiarum ipsarum dotationi, decori, & venustati, suorumque Præfulum, Capitulorum, & aliarum Personarum divinis ibi laudibus insistentium statui, & opportune subventioni, cum divini Cultus augmento, & animarum Christi Fidelium salute consulitur, nostræ sollicitudinis partes libenter adhibemus, ac alias super his etiam nonnulla, quæ à Prædecessoribus nostris licet consule gesta fuerint, immutanda disponimus, prout locorum, temporum, personarumque qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque sicut accepimus alias, postquam felicis recordationis Paulus PP. IV. Prædecessor noster, ut providum decebat Pastorem, in ea inferioris Germaniæ parte, quæ Clarissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure subiecta est, pro tanta celeberrimorum, quæ inibi erant, oppidorum frequentia, populorumque multitudine adeo paucas Ecclesias Cathedrales inesse considerans, ut earum Episcopi eâ, quâ opus erat, diligentia tantam animarum multitudinem regere nequirent, idque quibusdam eò erat difficilius, quod Diocæsani sui inter se vulgari idiomate, insituriusque differebant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem evocari non liceret, unde præfati Episcopi sanam fidei Catholice doctrinam, ac rectam vivendi rationem, populum illum docere, & in delinquentes animadvertere commodè nequibant, ipsaque fides, & animarum salus illic ob pullulantes Hæreticorum, & Schismaticorum, quibus Regio ipsa undique ferè circumdata erat, insidias, pestiferasque doctrinas maximo in discrimine versabatur.

His, aliisque gravibus Causis impulsus, volens etiam prædicti Philippi Regis hoc illius humiliter supplicantis precibus, pioque desiderio in ea parte satisfacere, habitâ, sicuti tanti rei pondus exigebat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, matura deliberatione, de eorum Consilio, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Trajectensem Civitatem, & Diocæsini in Colonienfi Provincia, cui tunc erat Metropolitico Jure subiecta, ac Daventriensem à Trajectensi, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ Regionis cum omnibus, & singulis suis Terminis, Territoriis, Cleris, Populis, & Personis, Monasteriis, & Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, aliisque piis locis à suis quoque Diocesi, & Pro-

III.
Ex Op.
Dipl. MI.
rei Tom.
I. pag. 790.

vincia per quasdam sub plumbō perpetuō segregaverat, dividerat, & separaverat, ac Daventriensē, cæteraque oppida prædicta sic divisa in Civitates; Sedem verò Trajectensem tunc Episcopalem in Metropolitanam, ac Collegiatam S. Lebuini Daventriensem, cæterasque alias aliorum oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias in Cathedralis, pro totidem Episcopis creandis, qui suæ cuique Ecclesie præsentent, ac Daventriensi, aliisque Ecclesiis, & Civitatibus prædictis certos districtus per Nuntium suum, postmodum ab eo illuc mittendum, limitandos pro suis Diocesis concesserat, nec non Daventriensem, & cæteras alias tunc expressas Ecclesias, Civitates, & Dioceses Ecclesie Trajectensi pro sua Provincia subiecerat, singulisque Daventriensis, de aliarum noviter erectarum Cathedralium Ecclesiarum Mensis Episcopalibus, annum redditum 3000. Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & Bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis, per dictum Nuntium specificandis & repartendis, ex tunc, prout ex die, & è contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio huiusmodi facta & effectum fortitæ forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis Mensis, pro earum dote alium annum redditum 1500. Ducatorum similibus per ipsum Philippum Regem ex redditibus, & proventibus, quos ex eadem Regione percipiebat, Daventriensi, aliisque noviter institutis Episcopis pro tempore existentibus, singulis annis, quousque specificatio, & repartitio prædicta, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minimè sortita foret, nec ultra, integrè, & proportionabiliter perfolvendum applicaverat, ac eidem Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo, & forma qualificatas ad Daventriensem, & alias Cathedralis Ecclesias sic erectas, tam à primæva illarum erectione huiusmodi, quam quotiescunque illas pro tempore vacare contigerit, per ipsum Romanum Pontificem pro tempore existentem in Episcopos ad nominationem huiusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat.

Et deinde per alias suas in forma Brevis Litteras Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, & Apostolicæ Sedis in partibus illis Nuntio dederat in Mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias, & Dioceses distinguere, & limitarent, ac dotem Ecclesiis ipsis assignandam, à Monasteriis, ac Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat, dilectus Filius Noster Antonius S. R. E. Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes Viri, quos ipse Salvator Episcopus, dicto Prædecessore interim de medio sublato, prætextu Mandati & posteriorum Litterarum huiusmodi ad id loco sui substituerat, licet forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id Canonicè subdelegari possent: facta nihilominus per quam diligentem rerum indaginem, ac omnibus maturè pensatis animadvertentes, conducibilis fore aliquot Monasteria & Præposituras illarum partium suppressere, illorumque suppressorum fructus, redditus, & proventus Daventriensi, aliisque nonnullis Episcopalibus Mensis pro earum dotibus applicare, ac designationes, & limitationes Provinciarum, & Diocesium, divisionesque, & distributiones oppidorum, & jurisdictionem in nonnullis partibus ipsarum Diocesium illis, quæ per dictas Litteras statuebantur, commodiores, numerum denique personarum, & Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, statum quoque, & formam in præfatis Ecclesiis etiam per huiusmodi suppressiones, applicationes, & alias in universum magis accom-

modas, rationes habendas censuerint: & inter alia Ecclesie, ac pro tempore existentis Episcopo Daventriensi pro Diocesi sua, Oppida, Castra, Pagos, Villas, & loca infra scripta videlicet.

Daventria, Zutphania, Zvolle, Campen, Harderwyck, Elburgh, Hattem, Doesburg, Heerembergh, Dorechem, Hasselt, Goor, Lochem &c. eorumque districtus, & Territoria assignaverint, ac super majori præmissorum parte processus, rebus omnibus seriè digestis, formandos curaverint, prout in illis, & singulis litteris præfatis, aliisque scripturis desuper forsitan confectis, plenius continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commisso fieret ad partes, vocatis quorum interest, attendentes, quod si præfatis temporibus, dum ejusdem Regionis Populi multiplicari cœperunt, ibi Cathedralium Ecclesiarum numerus similiter adauctus, illisque de Catholicis, bonisque Præsulibus opportuno tempore profectum fuisset, tot perniciose hæresium dogmata, quibus in circumvicinis partium illorum locis Religio Christiana miserè laceratur, non ita invalissent.

Porro cum ad illa, quæ istuc ex vicinorum contagio jam pridem influxerunt extirpanda, dictosque Populos in sinceritate fidei continendos, nulla alia magis, quam præmissa opportuna adhiberi remedia potuisse videantur, ut illa juxta cordis nostri desiderium promptos, & felices sortiantur effectus, eis nostri Ministerii partes impartiri volentes, ac partitionis, & ordinationis per eosdem Subdelegatos, quantum ad Ecclesiam, Civitatem, & Diocesium Daventriensem pertinet, prudenter examinatarum, & in scriptis concorditer digestarum, etiam quoad limites Diocesis Daventriensis, ac omnia & singula Oppida, Castra, Villas, & alia loca in eis comprehensa, nec non ordinationis commoda Subdelegatorum huiusmodi, ac litterarum prædictarum, aliarumque scripturarum desuper confectarum tenores, nec non Canonicatum, & Præbendam dictæ Ecclesie S. Lebuini fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, atque omnia, & singula, ac prout illa concernunt reliqua in dictis Litteris & Scripturis contenta, & inde sequuta Apostolica auctoritate, & ex certa scientia confirmantes, & approbantes, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicientes, omnesque, & singulos juris, ac facti defectus, si qui forsitan intervenerint, in iisdem supplentes, ac illis in hac parte penitus inhærentes, litterasque dicti Prædecessoris quoad illa, & quæ litteris ipsis non consonant, cæteraque infra scripta immutantes, & nihilominus pium, & laudabile ejus institutum prosequi, & ad hunc effectum Mensæ Daventriensi de congrua dote providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac de similibus potestatis plenitudine, S. Lebuini in Cathedralis erectæ huiusmodi, ac Zutphaniensis, ubi pro tempore existens Episcopus Daventriensis Conventum, sive Curiam Episcopalem pro Comitatu Zutphanico, & parte Ducatus Geldrie habiturus est, & Oldenzaliensis, ubi Episcopum præsentem frequenter esse, propter Dominium de Linghen, quod ibi adjacet, oportebit, Ecclesiarum Præposituras, quæ dignitates principales inibi forsitan existant, ac dilectis Filiis illius Canonicis propter intolerabilem, quas ab hæreticis, & Incendiariis, aliisque grassatoribus inibi patiuntur vexationem, hoc ita fieri petentibus, Monasterium montis Sanctæ Agnetis, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium, olim Trajectensis, nunc verò Daventriensis Diocesis, quorum insimul, & illis forsitan annexorum fructus, redditus, & proventus 3000. Ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem valorem annum, ut accepimus, non excedunt, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, cum primum illa per cessum etiam ex Causa permutationis, vel

decessum, seu quamlibet aliam dimissionem, vel amissionem, modernorum Præpositurarum Præpositorum, & Monasterii hujusmodi Abbatis, vel Commendatarii, aut alias quomodolibet etiam apud Sedem prædictam vacare contigerit, etiam si actu nunc, ut præmittitur, vel alias vacent, & tanto tempore vacaverint, quod Præpositurarum collatio, & Monasterii prædictorum provisio juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipsæque Præposituræ dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservatæ existant, & ad illas confueverint qui per electionem assumi, eisque etiam Cura jurisdictionis imminet animarum, ac super eis, ac eodem Monasterio inter alios, seu super illorum possessio molesta, cujus Statum, ac verum, & ultimum eorundem Præpositurarum, & Monasterii vacationis modum, etiam si ex illo quævis generalis reservatio, etiam in Corpore Juris ita resulet, præsentibus haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, ipsiusque Monasterii provisio ad Sedem prædictam specialiter, vel generaliter pertineat, ac de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat: ipsum videlicet Monasterium, ac in eo nomen, titulum, & denominationem Abbatis, ac ordinem, & dependentiam, omnemque Regularem Statum dicta auctoritate perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac illius fructus, redditus, proventus, Jura, obventiones, & emolumenta, ac alia quæcumque Bona una cum suis præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus, administrationibus, Juribus, & pertinentiis universis dictæ Mensæ Episcopali Daventriensi, etiam perpetuo applicamus, & appropriamus, Præposituras vero prædictas cum juribus, & pertinentiis suis eidem Mensæ etiam perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod hujusmodi vacationibus occurrentibus, liceat Episcopo Daventriensi pro tempore existenti per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Præpositurarum, & illis annexorum, ac fructuum, reddituum, proventuum, Jurium, obventionum emolumentorum, & aliorum Bonorum Monasterii hujusmodi propria auctoritate liberè apprehendere, & retinere, illaque, deductâ tamen congruâ fructuum, reddituum, & proventuum ejusdem Monasterii portione pro uno Ecclesiæ dicti Monasterii, quæ etiam forsân Parochialis existit, Rectore, qui dilectorum Filiorum Parochianorum Ecclesiarum animarum Curam exerceat, illisque Sacramenta Ecclesiastica administret, & pro uno Presbytero Sacellano, qui Rectorem ipsum adjuvet, ac etiam pro elemosynis ibi fundatis, annuatim distribuendis in suos, & dictæ suæ Mensæ usus, & utilitatem convertere.

Nec non omnia, & singula Prioratus, Præposituras, Canonicatus, & Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, ac Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum Cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia ad collationem, provisionem, præsentationem, institutionem, electionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem, pro tempore existentium Præpositorum, & Abbatis prædictorum communiter, vel divisim quomodolibet spectantia, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare, eligere, & præsentatas, vel electas instituere, ac confirmare, & alias de illis liberè disponere, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna, & quæ eorundem Monasterii Abbas, & Præpositurarum Præpositi hactenus facere, & exequi soliti sunt, potuerunt, & debuerunt facere, & exequi, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ.

Et insuper eidem Episcopo Daventriensi, qui pro tempore erit, ut Ecclesiam Monasterii hujusmodi, si opus sit, in Parochialem, & in ea unum perpetuum Beneficium Ecclesiasticum pro

dicto Sacellano erigere, & instituere, illisque ac pro elemosynis distribuendis præfatis congruam fructuum, reddituum, & proventuum Monasterii portionem hujusmodi assignare liberè, & licitè valeat, eadem auctoritate concedimus, & indulgemus.

Et ut Ecclesia Daventriensis prædicta aliquot Dignitatibus, & Officiis decoretur, in illa unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui post tamen dilectorum Filiorum moderni, seu modernorum ejusdem Trajectensis Ecclesiæ Archidiaconorum, jurisdictionem in ipsa Diocesi habentium, cessum, vel decessum plenariam jurisdictionem Archidiaconalem in universa Diocesi Daventriensi, quam cæteri Cathedralium Ecclesiarum partium illarum Archidiaconi de jure vel consuetudine habent, & habere debent.

Ac unum Archipresbyteratum Civitatem nuncupandum, dignitates ibidem pro uno Archipresbytero Civitatem nuncupando, qui specialem Pastorum, seu Rectorum Parochianorum, & verbi Dei Prædicatorum in eadem Civitate curam habeant; ac unam Penitentiarum pro uno Penitentiario Diocesano dictæ Ecclesiæ, cujus Officium, sive munus circa curam conscientiarum Populi totius Diocesis prædictæ versetur, etiam perpetuo erigimus, & instituimus.

Nec non suppressionem, extinctionem, applicationem, & appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, & alia præmissa, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, & derogationibus, similibus, vel dissimilibus suppressionum, extinctionum, applicationum, appropriationum, unionum, annexionum, & incorporationum per nos, & Sedem præfatam sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis pro tempore factis minimè comprehendendi, sed ab illis semper exceptas, & quatenus illas suspendi, derogari, aut illas revocari contigerit, toties eas de novo concessas, & in statum pristinum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minimè comprehendantur, ex nunc verè, & non fide suam plenarium effectum sortitas, ac unionem, annexionem, incorporationem, suppressionem extinctionem, applicationemque, & approbationem prædictas de non vacaturis, sed de vacantibus Præposituris, & Monasterio præfatis factas, & per illas ex nunc Mensæ Episcopali, & Episcopo Daventriensi pro tempore existenti Jus in re quæsum existere, præsentiumque Litterarum suspensiones, revocationes, derogationes, & alias contrarias dispositiones pro novis illarum concessionibus, & restitutionibus haberi, & ceteri decernimus.

Omnes autem, & singulos ejusdem Monasterii Canonicos, & alias personas, qui ad Daventriensem prædictam, vel alias Sæculares Ecclesias transire valent à Regularibus ipsius Ordinis institutis, eorumque observatione, & habitus regularis gestatione, ac paupertatis voto eisdem auctoritate, & tenore prorsus absolvimus, & liberamus.

Ac ad Statum Clericorum sæcularium, ita quod se illis in omnibus, & per omnia conformare, ac omnibus, & singulis illorum Privilegiis, exemptionibus, liberationibus, communitatibus, gratiis, & indultis, quibus ipsi Sæculares Clerici quoquo modo utuntur, potiuntur, & gaudent, etiam quoad Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium quorumcumque assequutionem, & plenariam ad illa, nec non quæcumque Bona capacitatem, & liberam de quibusvis Bonis mobilibus, & immobilibus, ad eos quoquo modo spectantibus testandi facultatem, citra tamen Consanguineorum suorum in Bonorum successione præjudicium uti, potiri, & gaudere valeant, reducimus, & plenè secularizamus, ac singulis eorum, qui ad Ecclesiam Daventriensem tranierint, singulas Præbendas, & aliis ad alias Sæculares Ecclesias, potius

transmeare volentibus singulas portiones 100. aureorum Rhēnensium, donec illis abundē de simili reddito Ecclesiastico canonicē proviſum fuerit; reliquis verō, qui ad alia Regularia loca transferri maluerint, ad eorum vitam duntaxat singulas portiones annuas quinquaginta Ducatorum ex fructibus, redditibus, & proventibus Monasterii hujusmodi eorum singulis, per eo tempore existentem Episcopum præfatum annuatim persolvendas, auctoritate, & tenore prædictis assignamus, ac cum ejusdem Regularibus Canonicis ad Statum Sæcularem per præsentem reducis, ut quæcumque, quotcumque, vel qualiacumque, cum Cura, & sine Cura, aliàs tamen se invicem compatiencia Beneficia Ecclesiastica per Clericos Sæculares obtineri solita, aliàs sibi canonicē conferenda recipere, & retinere, Bonaque etiam temporalia quæcumque possidere liberè valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus.

Ac dilectis Filiis S. Lebuini, Zutphanienſis, & Oldenſis Ecclesiarum Capitulis, ac Conventui Monasterii hujusmodi, aliisque quibuscumque in virtute Sanctæ obedienciæ, & sub excommunicationis majoris latæ Sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum, Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia per contrafacientes in posterum obtinenda eo ipso incurrendis pœnis, ne ad electionem, seu postulationem in Præpositos, vel Abbatem Ecclesiarum, vel Monasterii prædictorum, cum illa vacare contigerit, etiamſi nunc vacant, ut præfertur, procedere, vel se aliàs in eis, vel eorum aliquo intrmittere quoquo modo præsumant, districtus inhibemus, & nihilominus quæcumque electiones, seu postulationes hujusmodi, earumque confirmationes, vel admissiones, nec non provisiones, præfectiones, commendas, aliasque dispositiones, quas ex nunc de cætero etiam per Sedem prædictam de Præposituris, & Monasterio præfatis quomodocumque fieri contigerit, nullas, & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore decernimus.

Et ut idem Episcopus suam Ecclesiam Personis, ut insignem decet Cathedralē, eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, ceteraque munia Ecclesiastica obeunda idoneis debite instructam habeat, perpetuò statuimus, & ordinamus, quod ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis ipsius Ecclesiæ S. Lebuini, qui sunt numero viginti, decem Canonicatus, & totidem Præbendæ, quos primo loco, postquam eidem Ecclesiæ de Episcopo Canonicē proviſum fuerit, per cessum etiam ex causa permutationis; vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel etiam privationis viâ amissionem quomodolibet decem Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamſi actu nunc quovis modo vacant, & tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, ut præfertur, devoluta, ipsique Canonicatus, & Præbendæ, vel eorum aliqui dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservati existant, & ad illas consueverint qui per electionem assumi, super ejus quoque, vel eorum aliquibus inter aliquos lis, cujus statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisâ, unus, & una videlicet Episcopo, ratione quorum sit Capitularis, habeatque in Capitulo Locum, & vocem super Decanum, & reliquos Canonicos ipsius Ecclesiæ Confratres suos, ac tres alii tribus Magistris, aut Licentiatos in Theologia, & tres alii aliis tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatos, & reliqui tres Canonicatus, & totidem Præbendæ tribus Nobilibus ejus Diocesis, qui etiam in Jure, vel Theologia saltem ad gradum Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii generalis cum rigoroso examine sint promoti, ordine servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex priores tam Nobiles, quam

Ignobiles, ut præfertur, tamen Graduati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis ex novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possunt, ipsam tamen Nobilitatem à sex prioribus Canonicatibus & Præbendis non excludendo.

Ex tribus autem prioribus Graduatibus unus ex designatione Episcopi Archidiaconus, aliàs Archipresbyter Civitatenſis, & reliquos Pœnitentiarius Diocesanus præfati existant. Postremò apud alios duos Doctores, vel Licentiatos Seniores, unum videlicet Theologum, alterum verò Jurisperitum potestas totam Diocēsin Daventriensē, dum & quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, ejusdem Episcopi nomine visitandi, quibus etiam reliqui Graduati, quoties ad id similiter requirentur, assistere debeant: Apud Archidiaconum verò, & tres alios ex Graduatibus hujusmodi, duos videlicet Theologos, & unum Jurisperitum, potestas Clericos ad Ordines Sacros promovendos, & Rectores Parochianos de Parochialibus Ecclesiis, vel perpetuis illarum Vicariis quæcumque auctoritate provisos ad Curæ Pastoralis exercitium admittendi sit, & permaneat, ita quod ipsi nullos profus nisi idoneos, & quantum ad animarum Curam pertinet, quidem personalem facient residentiam, expressè juratos admittere valeant, & in universa Diocēsi prædicta tot Archipresbyteri, vel Decani rurales deputentur, quot esse conveniet, ita quod hi, qui nunc sunt in Officio suo cum solitis emolumentis, salva tamen ipsius Episcopi moderatione, remaneant, ac tam Archidiaconus, Archipresbyter, & Pœnitentiarius, quam reliqui sex Canonici ratione suarum Præbendarum hujusmodi consilium, & operam in negotiis Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quando, & quoties ab eodem Episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim, quam divisim, fideliter præstare teneantur.

Et ut Viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sic asserti hac primâ vice per Episcopum duntaxat, qui illos Graduatis & Nobilibus alternatis vicibus conferat, & deinde, quoties illos perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum præfatorum superstitum per eos conferantur, ita quod in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quam cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo in casu iteratum Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat; reliqui autem Canonici Capitulares reliquorum Canonicatum, & Præbendarum dictæ Ecclesiæ collationem in Turno ordinario separatim, sed Vicariarum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum ejusdem Ecclesiæ collatio sit omnibus communis per Turnos, prout hæcenus observatum est.

Quodque posthac primi decem dicti Canonicatus, & Præbendæ hujusmodi sub nullis specialibus, & generalibus, etiam mensalibus reservationibus, affectionibus, & in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, Indultis de providendo, commendando, aut aliàs disponendo, primariis precibus, aut aliis gratiis præventivis per Nos, aut Reverendissimos Pontifices pro tempore existentes ad dictam Sedem, vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, aut aliorum Principum, quorumcumque, at S. R. E. Cardinalium, & ex quacumque causa quantumlibet urgenti pro tempore factis, & concessis comprehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud Sedem præfatum, aut ulla alia ratione generaliter, aut specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem etiam ex causa permutationis, etiam apud Sedem

eandem pro tempore occurrente per Reverendissimum Pontificem, aut Sedem eandem de illis provideri, aut aliis quocummodo disponi possit.

Et quoniam impia Hæreticorum studia, temporisque malicia viros dictos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quod, si Canonici Graduatii prædicti ab ipsa Ecclesia, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi per duos Menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, ipsique fructus Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solum, qui divinis in Choro deserviunt, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel privilegio Apostolico quacumque causâ impetrato vel concessio, sese ab residentia huiusmodi eximere possit, eisdem auctoritate, & tenore perpetuò statuimus, & ordinamus.

Jus omne decem Canonicatus, & decem Præbendas affectos præfatos conferendi, & de illis disponendi, vel ad illos eligendi, seu nominandi ab Episcopo, Præposito, & Capitulo Ecclesiæ S. Lebuini huiusmodi, aliaque ad quos spectat post promotionem primi Episcopi Daventriensis huiusmodi perpetuò harum serie abdicantes, & amoventes, illudque in præmissum electionis modum immutantes, ac ad Episcopum, & novem Canonicos præfatos transferentes.

Et ut novem Præbendas totidem Canonicis Graduatibus, ut præmittitur, affectæ paulò uberiores sint, & ad illas libentius recipiendas viri docti inducantur, Episcopo præfato, quod unam secularem, vel Ordinis cuiusvis regularem partium illarum Præposituram, vacatione etiam illius in mensibus prædictis occurrente, etiam si Conventualis, electiva, curata, etiam Curâ jurisdictionali animarum specialiter vel generaliter reservatâ, ac litigiosa sit, ut præfertur, eisdem novem Canonicatibus, & Præbendis Graduatibus affectis, vel eorum Massæ communi de Philippi Regis, & Archiepiscopi prædictorum consensu, auctoritate prædictâ, perpetuò etiam, ut præfertur, unire, annectere, & incorporare liberè, & licitè valeat, auctoritate, & tenore prædictis licentiam, & facultatem concedimus.

Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales in quavis Causâ, & instantia, ablatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac quidquid fecerit super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Quocirca præsentibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, ac Atrebatensi, & Feltrensi Episcopis per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, vel alios presentes Litteras, & in ea contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi Daventriensis, & Canonicorum, aliorumque prædictorum, quorum interest, & quomodolibet intererit, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopos Daventrienses, & alios præfatos confirmatione, approbatione, adjectione, suppletionem, suppressionem, extinctionem, applicationem, unionem, annexione, incorporationem, absolutionem, reductionem, dispensationem, statuto, ordinationem, aliisque præmissis, ac præsentibus Litteris, & aliis in eis contentis pacificè frui, gaudere, ac eadem præfatos, & in eis contenta huiusmodi firmiter observari.

Non permittentes Episcopum, Canonicos, & alios præfatos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri, Contradictores quoslibet, & rebelles, sibi que in præmissis non parentes, etiam per excommunicationis lætæ sententiæ, ac privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, ita quod beneficia, ut Officia huiusmodi, tanquam per privationem legitime, ut Canonice factam, vacantia ab aliis impetrari, & per Locorum Ordinarios liberè conferri possint, aliasque sententias, & penas tam Ecclesiasticas, quam pecuniarias arbitrio suo imponendas, moderandas, & applicandas, eo ipso incurrendas, appellatione postposita compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, Censuras & penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis.

Non obstante voluntate priori, & aliis præmissis, ac nostris de valore, tam in impetrationibus, quam in aliis gratis etiam motu simili factis exprimendo, & de non tollendo jus quaesitum, ac de non exprimendis litteris reservationis, etiam motu simili alicuius personæ, nisi de consensu illam solvere habentis, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permixtis fieri prohibentis, ac pie memorie Bonifacii Papæ Octavi, etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò quispiam ultra tres dietas, vigore præsentium non extrahatur, aliisque quibusvis Apostolicis, etiam reservatoriis, etiam in Corpore Juris clausis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus, nec non Cancellariæ Apostolicæ regulis & revocatoriiis, ac revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & alias in contrarium quomodolibet editis, & edendis, nec non Monasterii, Præposituratum, Ordinum, Ecclesiarum, & Locorum præfatorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, ac Concordatis, inter Sedem prædictam, & Nationem Germanicam dudum initis; nec non quibusvis specialibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratis, etiam in Canonicis Creationibus, aliis unionibus, etiam perpetuis, absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus citra accessus, & regressus facultatibus, mandatis, litteris & concessionibus quibuscumque personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis Commenfaliibus, ac Praelatis Domesticis, nec non Rever. Curie Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causâ, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum Contemplatione, ac cum quibusvis Antelationibus, Prærogativis & Decretis, etiam irritantibus, & Clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientiâ similibus, & alias quomodocumque concessis, quos, & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad præmissa omninò suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Nec non Privilegiis, Indultis & litteris Apostolicis illis, & aliis quibusvis per quoscumque Reverendissimos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfata, etiam per viam generalis Legis & Statuti perpetui, nec non initi & stipulati contractus, seu quasi, & aliam sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis

derogatoriis derogatarum, aliisque efficacioribus, & efficacissimis & insolitis Clausulis irritantibus, & aliis Decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac alias quomodocumque & qualitercumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis & innovandis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis tradita observata inferri forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latissime extendenda, in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur.

Nihilominus in genere & in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliis in robore permanentibus, hæc vice duntaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de Præposituris huiusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque ad Præposituras, & Archidiaconatum, ac Canonicatum, & Præbendas huiusmodi volumus non extendi: Sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Præpositurarum, & Canonicatum, & Præbendarum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut si Conventui præfatis, & Dilectis Filiis Vallis, & aliis Subditis dicti Monasterii Montis Sanctæ Agnetis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, ac de quibus quorumque tenoribus totis habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Volumus autem, quod per unionem, annexionem & incorporationem in Præposituram huiusmodi Divinus Cultus in eis nullatenus minuatur, neque Animarum Cura in eis, si qua illis imminet, negligatur, sed earum congruè supportentur onera consueta.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, indulti, erectionis, institutionis, decreti, absolutionis, liberationis, reductionis, secularisationis, assignationis, dispensationis, inhibitionis, statuti, ordinationis, abdicationis, amotionis, commutationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexa-

gesimo primo, septimo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

Scriptum erat Fed. Cardinalis.

Cesius.

Et alio Loco Cæ. Cloricibus.

Item alio Loco A. de Alexiis.

Episcopatum Ultrajectensem à Metropolitanò Coloniensi eximit, Archiepiscopali Dignitate exornat anno 1560. eidem assignans Episcopatus Suffraganeos Harlemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Grœningensem, ac Middelburgensem.

PIUS EPISCOPUS.

Seruus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

EX injuncto nobis Apostolicæ Servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quorumlibet, præsertim Metropolitanarum Insignium noviter erectarum decori & venustati, ac illis præsentium, & aliarum personarum in eis Divinis Laudibus insistentium statui, & opportune subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christianissimorum salute valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, & saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, ac id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs, postquam felicitis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, considerans eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, hereditario jure etiam tunc subiecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, ut illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, ac longè, latèque distitorum Castrorum, & Pagorum copia, Animarumque multitudo, varium item idioma, vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabat.

His aliisque gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholice succurrere, pioque dicti Philippi Regis desiderio satisfacere, habitaque, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Dioceses à Remensi, & certis aliis tunc expressis Provinciis, quibus tunc erant Metropolitanico Jure subiectæ:

Ac Harlemensè, Daventriensè, Leovardiensè, Grœningensè & Middelburgensè, olim Trajectensè, & aliarum Diocesium, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia huiusmodi Regionis, à sua quoque Diocesi ac Provincia, perpetuè segregaverat, & diviserat.

Nec non Harlemensè, Daventriensè, Leovardiensè, Grœningensè, Middelburgensè, & reliqua Oppida prædicta sic divisa in Civitates.

Cameracensem verò, & Ultrajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam S. Rummoldi Mechliniensè, in Metropolitanam, & certas alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictarum Ecclesiarum, in Cathedralis Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præsentent.

Neo non Harlemensè, Daventriensè, Leovardiensè, Grœningensè, & Middelburgensè Ecclesiis, Civitatibusque prædictis, certos tunc expressos districtus aliàs distinctos, per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua cuius-

IV.
Ex Op.
Dipl. Mi.
rei Tom. I.
pag. 618.